

inquirent, mentem habens divina sapientem, dixerit: in cucumeraria, ubi ligone & securi vexantur homines, in Caelos cursum dirigentem, ad volatium irraductum esse Paulum? Et quæ neque in secundo, neque in tertio Cælo invenit ineffabilia, ea in terreno agro aquis irrigato, mystice esse enumerata a puro & divino ore Christi? Hæc Anastasius & S. Justino. Quod est ad illos, qui *Paradisum* statuerunt idem esse atque *Sinum Abrahæ*, diversis ii principiis usi, in duas diversas abiere sententias. Nam nonnullis visum fuit, Justorum Animas in loco illo Felicitatis adservari, usquequo adveniat Resurrectio Corporum: qua peracta ad consummatam peractamque Beatitudinem totius hominis tunc ascendent. Intermedium hoc tempus *Regnum Christi* appellarunt, subsequatur vero post universale Judicium *Regnum Dei*: parum animadvertentes, nuncupari, *Eternum Regnum Domini nostri & Salvatoris Jesu Christi*, Secunda Petri I. vers. II. In ea opinione, ut supra vidimus Cap. VIII. fuit Auctor *Quæstionum ad Orthodoxos*, quæ olim perperam Sancto Justino tribuebantur. Eadem quoque Tertulliano placuit. Verum & qui ita sensere, minime expertem Beatitudinis locum illam, ex quo Christus pro nobis vitam dedit, arbitrati sunt. Ipsum illum Auctorem *Quæstionum* ostendimus non diffidentem, quin Justorum Animæ ab Angelis abducantur in *Paradisum*, ubi consuetudine & aspectu fruuntur Angelorum & Archangelorum, immo ipsius quoque *Salvatoris Christi*, pro eo atque dictum fuit: *Peregrinari a Corpore, & presentes esse ad Dominum*: quod satis est ad evertenda Burneti commenta. Beatus quippe sit necesse est, qui cum Christo glorificato versatur, atque illius beatifico aspectu fruatur. Alii vero duobus vocabulis *Paradisum*, & *Sinu Abrahæ*, ex quo Christus & se Patri holocaustum obtulit in Cruce pro omnibus, designari censuerunt Vitam Beatam in Cælis, atque in Conspectu Dei, augendam tantummodo & perficiendam in fine Mundi, quum Corpora resumpta ad Beatitudinem & ipsa transibunt. Id supra palam factum fuit Cap. XI. Denique non defuere, qui *Sinum Abrahæ* alium a *Paradiso* opinati fuerunt. Tertullianus Millenariæ familiæ Scriptor Lib. IV. Cap. 34. adversus Marcionem, commemorat *Sinum Abrahæ*, etsi non Cælestem, sublimiorem tamen Inferis Regionem, interim Refigerium præbituram Animabus Justorum, donec consummatio rerum, Resurrectionem omnium Plenitudine Mercedis expungat. Ita ille, quod nempe & in *Sinu Abrahæ* crediderit jam inchoatam Animarum Mercedem sive Beatitudinem. Tam ipse in prælaudato Lib. de Anima Cap. IV. agnoscit *Paradisum* alium esse locum a *Sinu Abrahæ*, atque in Cælo positum, in quem tamen solas Martyrum Animas convolare sibi fingit. An vero *Paradisum* ipsum, quamquam ineffabilis Beatitudinis locum, id fuerit opinatus atque *Regnum Dei*, sive Cælorum *Regnum*, aliis inquirendum relinquo. Ipsum vide in Lib. de Resurrectione. Cap. 43. ubi hæc ejus verba: *Nemo peregrinatus a Corpore* (idest nulla Anima corporeis exuta vinculis) *Statim immoratur penes Dominum, nisi ex Martyrii præ-*